



**H**iobus Magdeburgi honestis parentibus natus, & à pueris in omni genere literarum institutus fuit. Cum is prima rudimenta feliciter percepisset, sese hinc inde ad doctorum hominum Gymnasia contulit, atq; Latinæ & Græcæ linguæ magna diligentia incubuit. Postea quoque artium & Philosophiæ studia percurrit, atque præclaram sibi eruditionem comparauit. Hisce studijs uitæ innocentiam atque docendi perspicuitatem adiunxerat. Id cum Misenæ innotuisset, ab eius loci proceribus liberali stipendio proposito uocatur, atq; iuuetus in celebri ea schola erudenda committitur. Eam functionem is grato animo suscepit, atq; optimos quoq; authores singulari industria explicauit. quin etiam sententias præclaras ex nouo testamento collegit, & in usum studiosorū euulgauit. Pari diligentia Ciceronis officia in tabulas redegit, atq; uirtutū fontes inspiciendos proposuit. hoc modo Hiobus scribendo et docendo etiamnum pergit, atq; multarum rerum cognitione omnibus bonis gratus existit. Anon.